

Ad Cypria carmen.

Notissimum est Demodoci carmen¹, quod innuit Poeta θ 73 sq. (cf. Plut. de mus. 3; Paus. III 18, 11), his verbis:

Μοῦσ' ἄρ' αἰοῖδὸν ἀνήκεν αἰεῖδέμεναι κλέα ἀνδρῶν,
οἴμης, τῆς τότ' ἄρα κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἴκανεν,
75 νεῖκος Ὀδυσσεύου καὶ Πηλείδew Ἀχιλλεύου,
ὥς ποτε δηρίσαντο θεῶν ἐν δαιτὶ θαλίῃ
ἐκπάγλοις ἐπέεσσιν· ἄναξ δ' ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
χαῖρε νόμῳ, ὅτ' ἄριστοι Ἀχαιῶν δηριόωντο.
ὥς γάρ οἱ χρεῖων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων
80 Πυθοῖ ἐν ἠγαθήῃ, ὅθ' ὑπέρβη λάινον οὐδὸν
χρησόμενος· τότε γάρ βᾶ κυλίνδετο πῆματος ἀρχὴ
Τρωσὶ τε καὶ Δαναοῖσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς.

Hoc est illud ἐν Ὀδυσσεΐᾳ ζητούμενον νεῖκος (schol. A ad I 347), quo excitatae sunt solutorum veterum argutiae, quas vide ex peripateticorum illo solutionum corpore servatas per Dioscuridem (περὶ τῶν παρ' Ὀμήρῳ νόμων) Porphyriumque in luculenta dissertatione, qua Dioscuridis libellum recuperavit R. Weberus in *stud. Lips.* XI p. 115. 155. 196. Spectabant autem illi interpretes hoc potissimum, ne ἀπρεπῶς videretur Poeta inducere Agamemnonem tamquam χαϊρέκακον: originem carminis Demodocei indicare minus curabant². videntur quidem fuisse, qui (schol. HQV ad θ 75) μετὰ τὴν Ἔκτορος ἀναίρεσιν aggressuros ad ipsam oppugnationem Graecos putarent epulas illas celebravisse, et adsentientes habuerunt ex recentioribus Welckerum (*cycl. epic. vol. I² p. 268*) et Nitzschium (*Beiträge zur epischen Poesie p. 199*). sed iam antiquorum quosdam rem aliter explicavisse testimonio sunt verba servata a scholiographis HQ ad θ 77, unde apparet oraculo Delphico ipsam illam nobilissimam μῆνιν Iliadis significatam esse, Agamemnonem autem errasse, cum illis Achillis et Ulixis controversiis oraculo iam satisfactum esse crederet³.

¹ Memoratu dignum vide locum de hoc carmine in Schilleri Goethii epistulis (*die II. mens. Mai. a. 1798; vol. II p. 70. 73 Boxb.*).

² cf. Plutarchum in vita Agesilai, cap. 5.

³ οἱ δὲ, ὅτι ἐπιφέρει χρησμόν δεδοσθαι τῷ Ἀγαμέμνονι κατὰ τὴν τῶν ἀριστέων διαφορὰν αἰρήσειν τὴν Ἴλιον, τὴν Ἀχιλλεύου μῆνιν αἰνιτόμενον. ceterum similem sententiam ipse Nitzschius defenderat (*animadvers. in Odyss. vol. II p. 176*), antequam in Welckerianam transiit.

hos igitur interpretes necesse est statuisse νεῖκος illud esse ante Iliadis μῆνιν factum, quin etiam ante Graecorum Tenedum in insulam adventum, quippe qui hunc in modum descriptus esset in Cypriis: καταπλέουσιν εἰς Τένεδον καὶ εὐχουμένων αὐτῶν Φιλοκτῆτης ὑφ' ὕδρου πληγεῖς διὰ τὴν δυσσομίαν ἐν Λήμνῳ κατελείφθη· καὶ Ἀχιλλεὺς ὕστερος κληθεὶς διαφέρεται πρὸς Ἀγαμέμνονα. debebat enim Agamemnoni iam hoc ipso iurgio solutum ratumque videri oraculum, si alterum illud iurgium, quod Demodocus canit, post epulas Lemniacas fuit¹.

Sed hanc veterum interpretum sententiam accuratius perpendemus, si prius explosero alteram illam, quam amplectitur Welckerus, qui ad confirmandam eam docte sane et graviter disputavit de universa historiae fabularis natura, quam iure ita paratam dicit, ut longiore demum rerum gestarum decursu singuli quidam principales viri ex reliquorum turba emergant, clariore iam luce circumfusi, facti simul ipsi inter sese adversarii. vera est haec ratio sine ulla controversia: sed postulat non tam recentiore cycli Troici locum, quam recentiore poetam². refellitur autem Welckerus vel ipsius Homeri verbis:

τότε γάρ ῥα κυλίνδετο πήματος ἀρχῆ
Τρωσὶ τε καὶ Δαναοῖσι.

neque omittendum Schillerum (l. l.) eodem modo rem sibi instituisse, cum scriberet: *Es ist mir dieser Tage in der Odyssee eine Stelle aufgefallen, welche auf ein Gedicht, das verloren gegangen, schliessen lässt, und dessen Thema der Ilias vorhergeht.*

¹ Egregie fallitur Bergkii, cum (in *hist. litt. graec. vol. I. p. 677*) ipsum Demodoci carmen ad hanc cenam, quam sibi fingit Tenedeam, rettulit. nam celebrata est ea Lemni, quod non solum Proclus testatur, sed ipse Homerus Θ 229 sq., ubi scholiographus: τοῦτο γινόμενον μὲν οὐ παρέστησεν, ὡς γενόμενον δὲ παραδίδωσιν. et omnino Achilles tum non cum Ulixē, ut apud Demodocum, sed cum Agamemnone litigavit, qui quidem minime partes ageret tertii, ut aiunt, gaudentis. confirmatur hoc Sophoclis quoque fabella, quae fuit Ἀχαιῶν σύλλογος vel σύνδειπνοι, sine ullo dubio satyra, qua de audi Ribbeckium *de trag. Rom.* p. 620. — Ceterum optimo iure ad Demodoci carmen revocavit Bergkii versum anonymum, qui exstat apud Strabonem (p. 17): οὔτος ὁ πτολίπορθος ἀεὶ λεγόμενος καὶ τὸ ἴλιον ἐλῶν· βουλή καὶ μῦθοισι καὶ ἡπεροπηίδι τέχνῃ, quocum conferas versum χ 230.

² Quem subesse vel ipsa oraculi Delphici mentio indicat: nam de Iliadis loco spurio, qui exstat I 404, vide praeter Lehrsium in *Arist.* ² p. 152, Bergkium l. l. p. 597. nec neglegendum, fuisse etiam Menelao Ulixique de belli eventu data oracula. audi Demetrium Phaler. in schol. ad γ 267 (p. 143, 15 *Dind.*) et Ephorum (apud Athenaeum p. 232 e).

nam ultimum illum totius belli tamquam actum laboris initium dici potuisse et quidem non solum Troianis, sed Graecis item, quis est qui credat? postulat, opinor, sententia Welckeriana non initii, sed contrariam finis significationem. viderunt hoc veteres, qui ob nullam aliam causam videntur versus θ 81. 82 eiecisse¹. sumpsit autem πήματος ἀρχή de totius belli initio etiam Tzetzes in antehom. v. 38.

Reiectis igitur recentiorum opinionibus arridet tamen, quod omnino Cypria advocavit Bergk², licet falsum carminis locum significaverit. Cypria enim antestantur vel ultima illa verba: Διὸς μεγάλου διὰ βουλᾶς: ex Iovis consilio notissimo totum hoc carmen perpendit. scimus hoc et ex Proclo et ex fr. 1 K³. adde finem argumenti: καὶ Διὸς βουλή, ὅπως ἐπικουφίσει τοὺς Τρῶας. cum igitur in Cypriis tam late patuerit illa Διὸς βουλή, in Iliadis autem exordio obiter tantum tangatur, non ad Homerum⁴, sed ad cyclicum poetam spectare versum θ 82 crediderim: Διὸς μεγάλου διὰ βουλᾶς. quibus in verbis nota pluralem numerum: nam in Cypriis de duobus, in Iliade de uno Iovis consilio audimus.

Circumspicientibus autem, quo carminis loco certamen illud commemoratum fuerit, occurrit nobis locus Lycophronis, qui dicit de Graecis venientibus ad Anium Delium, Rhoeus filium, Oenotroparum patrem Apollinisque sacerdotem⁵ haec:

ἄλλων δ' ἄπλατον χειρὶ κινήσει νέφος,
ῶν οὐδ' ὁ Ῥοιοῦς ἴνις εὐνάζων μένος
σχήσει τὸν ἐννέωρον ἐν νήσῳ χρόνον
μίμνειν ἀνώγων θεσφάτοις πεπεισμένους,

¹ schol. H. ad θ 81. cf. Eust. p. 1586, 48: ὅρα δὲ τὸ πήματος ἀρχὴν· οὐ γὰρ πολέμου ἦν ἀρχὴ νῦν, ἀλλὰ πήματος τοῦ κατὰ τὴν Τροίαν. vide Christium in *annal. Fleckeisen.* 1881 p. 444.

² In eandem sententiam videtur iudicare Wilamowitzius in *Homericis* p. 113. Odysseae versu 74, cum οἴμης sit genetivus partitivus, significari partem maioris alicuius carminis iam animadverterat Bäumllein in *annal. Fleckeisen.* 1860 p. 542. Adami librum, qui inscribitur *die Odyssee u. d. ep. Kyklos*, non vidi.

³ cf. Ludwichium in *mus. Rhen. vol. XLIII p. 412* et Peppmüllerum in *philologi nov. ser. vol. I p. 452*.

⁴ Quod voluit Niesius in libro de poseos Homeriacaе propagatione, p. 49.

⁵ Singulare fuit de hoc Anio carmen Euphorionis, quo de scitu digna congescit Meinekius in *analectis Alex. p. 16*. cf. Heynium in *Vergili sui vol. II p. 559*.

τροφήν δ' ἀμεμφῆ πᾶσι τριπτύχους κόρας
 ἴσκων παρέξειν, Κυνθίαν ὅσοι σκοπῆν
 μίμνοντες ἠλάσκουσιν Ἴνωπού πέλας
 Αἰγύπτιον Τρίτωνος ἔλκοντος ποτόν.

Quem ad locum scholiographus Marcianus: Φερεκύδης (*fr.* 94 *M.*) δέ φησιν, ὅτι ὁ Ἄνιος ἔπειθε (ἔπεισε Tzetzes, *vol.* II *p.* 682 *Müll.*) τοὺς Ἕλληνας παραγενομένους πρὸς αὐτὸν αὐτοῦ μένειν τὰ θ' ἔτη· δεδῶσθαι δὲ τοῦτο παρὰ τῷ θεῷ [...], τῷ δεκάτῳ δ' ἔτι πορθῆσιν τὸ Ἴλιον. ὑπέσχετο δὲ αὐτοὺς ὑπὸ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ τραφήσεσθαι. ἔστι δὲ τοῦτο καὶ παρὰ τοῖς τὰ Κύπρια πεποηκόσι (Tzetzes: μέμνηται δὲ τούτων καὶ ὁ τὰ Κυπριακὰ συγγραψάμενος).

Vides, quantopere erraverit Welckerus, cum negaret Pherecydeum fragmentum totum referendum esse ad Cypria (*vol.* II *p.* 108). nimium enim tribuens Tzetzae socordiae, ἔπεισε pro ἔπειθε scribentis, Anium re vera persuasisse Graecis, ut manerent, Pherecydem credidit narravisse. quam historiam voluit intellegi Deliacam quandam semotam a reliqua memoria fabellam, cum ad Cypria sola Oenotroparum mentio esset referenda: τούτων enim in verbis Tzetzae feminini generis esse et spectare ad filias Anii, non ad universa, quae praecedant. sed neque illud ἔπεισε neque τούτων quidquam valere docet codex Marcianus viditque ex parte iam Ioannes Schmidtius in *Ulixie posthom.* I *p.* 12. Et debebat Welckerus Tetzam iniuria aoristum posuisse vel ex ipsius poetae verbis cognoscere: οὐ σχήσει, sc. Anius Graecos.

Lucrati igitur sumus certum Cypriorum fragmentum, quod spondet auctoritate sua Pherecydes. neque videtur alienum Deliacum hoc Graecorum hospitium ab Achillis illa cum Ulixie lite, praesertim cum ex Pherecyde constet de Calchantis vaticinio (B 329) deque belli eventu disputatum esse ea data occasione. crediderim equidem Agamemnonem ob eam ipsam causam Anii hospitium repudiasse, quia procerum illo certamine suum quod habuit privatum Pythiae oraculum solutum effectumque opinatus est. hoc si statuimus, omni modo quadrat illud in *Odyssea* positum: πῆματος ἀρχὴ Τρωσὶ τε καὶ Δαναοῖσι. tota enim tibi res cogitanda est ante ipsum belli initium. nec minus apte dictum est de epulis a Graecis apud sacerdotem celebratis, quod legimus θ 76: θεῶν ἐν δαιτὶ θαλεῖη.

Unum restat. Quaeritur, quo carminis loco convivium Deliacum a Proclo omissum (videsne argumentorum fidem haud in-

corruptam?) inserendum nobis sit. Welckerum iniuria in Pherecydis historiam decem illos annos intulisse, quos postmodo inter primam alteramque Aulide factam expeditionem intercessisse statuerunt, vel ipsa nunc fragmenti verba indicant. accedit, quod Thraemerus in libro egregio, quem de Pergamo scripsit (*p. 144 sq.*), sagacissime demonstravit, decennium illud eo consilio excogitatum esse, ut Neoptolemum non puerum, sed iuvenem haberent cantores excidii Troiae¹. quod consilium a Cypriis afuisse iure affirmavit vir doctus².

Secundae autem expeditioni vel inde denegaverim hospitium Deliacum, quod huius quidem et fuit et fuisse debuit directum inde ab Aulide in Troadem iter, Lemni Tenedique facta mentione a Proclo satis definitum. itaque Anii hospitium statim in priore expeditione, cum Aulidem reliquissent Graeci, poeta cyclicus descripsit. Proclus hic neglegentius: ἔπειτα ἀναχθέντες Τευθρανίᾳ προσίσχουσι. unde tamen hoc apparet, Graecorum tum iter Troicum in meridiem deflexisse, ita ut Delim mentio hoc loco minime fuerit inepta. accedit, quod Anii hospitium etiam aliunde innotuit et quidem gravissimo teste Apollodoro (περὶ θεῶν), quem in glossa Etym. magni v. Ταυροπόλον (adde similia apud Hesychium Photium Suidam) detexit Wilamowitzius in *Hermae vol. XVIII p. 259*³. Apollodorus igitur haec: Ἀθηνᾶ δὲ Ταυροβόλος ἐν Ἄνδρῳ. ὁ γὰρ Ἄνιος δούς ταῦρον τοῖς Ἀτρεΐδαῖς ἐκέλευσεν, ὅπου ἂν ἐκ τῆς νεῶς ἄλληται, ἰδρῦσασθαι Ἀθηνᾶν. οὕτως γὰρ εὐπλοήσειν. ὁ δὲ ἐν Ἄνδρῳ ἐξήλατο⁴. Prorsus errantium nescientiumque iter suum haec est imago: Aulide Delum, inde Andrum venerunt, inde non in

¹ cf. schol. L ad I 668.

² Nam demonstrasse hoc quidem contra Christium (*zur Chronol. des ältgriech. Epos p. 28*) Thraemerum nego. neque enim quidquam inde consequitur, quod in Cypriis Proclo teste Neoptolemi generatio excipit Calchantis de bello decenni vaticinium. hoc non ad universum bellum, sed ad ipsam urbis oppugnationem spectat incipitque ratum fieri demum post alteram expeditionem. satis equidem ad confirmandam Thraemeri sententiam censeo vacuitatem loci Procliani, minime ita comparati, ut ibi quae narrantur expleant decennium.

³ cf. *fr. 40 M*; scholl. ad Lysistratae v. 447. idem vidit O. Crusius, qui addit Apollodorum testem Minervae Taurobolae citavisse Xenomedem Chium, antiquum illum historicum, cuius pauca exstant fragmenta (cf. *fr. 1 vol. II. p. 43 M.*).

⁴ Etiam apud Servium (*ad Verg. Aen. III 80*) Andri origo cum Anio cohaeret.

Troadem, sed delati sunt in Teuthraniam. nonne hinc vel proverbio illi aliquid lucis affulget, quo utitur apud Theocritum (XV 61) muliercula:

ἔς Τροίαν πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί?

advertas etiam, quod de fausta navigatione praecepit hospitibus Anius. omnia, opinor, ad priorem expeditionem fragmentum Phercydeum relegant¹.

Ceterum nihil habet admirationis, quod fabularum Deliacarum tam manifesta vestigia deprehenduntur in carmine cyclico. memineris modo festi illius Ionum conventus, quem Deli celebratum esse hymni Homerici primi auctor tradidit. qua data occasione virgines sacerdotes, ut ait v. 160,

μνησάμεναι ἀνδρῶν τε παλαιῶν ἠδὲ γυναικῶν
ὕμνον ἀείδουσιν, θέλγουσι δὲ φύλ' ἀνθρώπων.

Mirum profecto esset, si huius poeseos carmina Troica vestigium nullum exhiberent.

Accedit ad firmandam meam sententiam, quod ipse Ulixes (Ζ 162) Nausicaam cum palma procera ac tenera² comparat, quam Deli viderat et quidem παρὰ βωμῷ. cum autem pergat:

ἦλθον γὰρ καὶ κείσε, πολὺς δέ μοι ἔσπετο λαὸς
τὴν ὁδὸν, ἣ δὴ μέλλεν ἔμοι κακὰ κήδε' ἔσεσθαι,

nonne concedes, totum hoc, quod dicit, optime congruere cum eis, quae in Cypriis narrata fuisse supra statuimus? Quin augetur loci Homeriaci candor et venustas, si advertimus Ulixem Nausicaae admiratione vera ac sincera captum minime mendacem esse, sed fidenter veritatis studiosum. recte sane Schmidtus (*l. l. p. 13*) negavit Odysseae locum ad legationem illam referendum esse, quam ad Oenotropas arcessendas Graecos misisse in Cypriis narratum fuit. hanc enim provinciam in Cypriis procul dubio obtinuit Palamedes. nobiscum qui fecerit, habebit, quo commodissime referantur verba Ulixidis. hoc tamen addo, quod Anii illo hospitio Cypriis restituto ipsam hanc legationem ad Anii filias acciendas susceptam summa diligentia a poeta videmus esse praeparatam.

Lipsiae.

O. Immisch.

¹ Noli huc revocare, quae Ulixes ipse (τ 186) de tempestate aliqua narrat, qua iam profectus in Cretam delatus sit. nam omnia haec insunt ἐν πλασταῖς γραφαῖς (Lycophr. 432).

² Quam servatam monstrabant Delienses teste Cicerone in legibus (I 1, 2); cf. Plin. XVI 240.